

lium quibus denominabantur, et quibus poterant uti pro suo arbitrio, si status innocentiae durasset. Nec tamen hoc fecit post formationem Evæ, sed ante, quia plenitudo hujus dominii, et præsidentiae in animalia erat penes virum, cui immediate eam contulit Deus, femina autem participabat de eodem dominio ex subordinatione ad virum, et ex participatione illius. Unde conveniens fuit hunc actum dominii, et quasi regalitatis exerceri ab Adam solo ante formatam feminam, cui postea ipse talem notitiam transfunderet, sicut etiam præceptum de non comedendo fructum arboris soli Adam ut capiti fuit impositum, et per ipsum postea notificatum fuit Evæ. Secundus finis ita explicatur ab Ambrosio libro de paradiso, cap. xi: « Accipe, inquit, quæ causa omnia deducta sint ad Adam, ut in omnibus videret utroque sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo et femina, ut ipse usu exemploque cognosceret necessarium sibi consortium mulieris adjectum. » Itaque illa verba post visa, et nominata animalia: Adæ vero non inveniebatur similis, hunc sensum faciunt: Vidit Adam cuncta animalia perfecta duplici sexu uti, et indigere ad propagationem, se vero non habere alterius sexus consortem, et similem sibi, nec inveniri; ut videlicet inde moveretur ad desiderandum simile consortium, idque peteret a Deo. Nec enim voluit Deus rationale animal sine consensu, et voluntate sua mulierem sortiri, et consortium generationis habere, cum totum illud opus amore, et reverentia plenum esse debeat, ut sit honorabile connubium, et thorus immaculatus, sicut inquit Apostolus.

XXVII. Quomodo autem Eva dicatur adducta ad Adam, cum videatur formatio illa facta juxta ipsum Adam e cujus corporis costa fiebat?

Multi meditantur Deus tulisse costam Adami, et adduxisse ad alium locum, ibique formasse Evam, deinde illam adduxisse ad Adam. Quo autem fine, vel mysterio seorsum Deus illam costam adduxerit, non explicatur, nec enim apparet quid occultum haberet formatio mulieris præ formatione hominis, ut ad locum seorsum illam materiam Deus deduxerit. Ita tamen meditatur Suarez libro iii de opere sex dierum, cap. ii, n. xx. Additque etiam illud verbum adduxit non necessario significare motum localem adductivum Evæ, sed esse idem quod offerre Evam Adamo in uxorem. Facilius tamen videtur hoc expediri dicendo, quod Deus ablata costa, vel in instanti, vel brevissimo tempore Evam formavit. Sed quia sopor, seu somnus Adam plus temporis duravit quam formatio Evæ, nec enim fuit instantaneus somnus, non debuit Eva ibi immobilis permanere, sed potuit ambulare per amœnissimum illum hortum, et fortassis Deo gratias reddere pro sua formatione, et tanta bonorum affluentia, vicissimque a Deo instrui de acceptando voluntarie virum, illumque amando, et reverenter tractando, unde voluntas ejus moveretur ad consensum illius matrimonii. Expergefacto autem Adamo, adducta fuit illi a Deo, ex loco illo quo diverterat, eamque in conjugem acceptavit.

TEMPUS, ET LOCUS FORMATIONIS PRIMORUM PARENTUM.

XXVIII. De tempore formationis Adam non est dubium fuisse sexta die, cum post formationem ejus Scriptura dicat, quod factus est vespere, et mane dies sextus. Nec potuit ultra differri, quia die septimo quievit Deus ab universo opere quod patraret. Quod

stare non potest, si tam præcipuum opus, et species sicut est humana adhuc facienda restabat. Qua vero hora diei fuerit creatus homo, ex Scriptura punctualiter colligi non potest. Licet enim aliqui meditentur hora tertia post meridiem inspirasse Deum in faciem ejus animam, ut qua hora secundus Adam Christus Deus expiravit in cruce, primus Adam fuerit inspiratus in vitam, tamen meditatio hæc nihil soliditatis habet, nec fundamentum in littera Scripturæ, sine quo fundamento allegoriæ istæ omnino evacuantur. Non potest autem componi cum littera Genesis, quod hora tertia post meridiem homo sit creatus, cum tam multa restarent illo die facienda, pro quibus nullo modo suppetit tempus, si humano et connaturali modo fieri debuerunt, ut sunt; quod hominem tulit Deus in paradysum, ibi ei præceptum posuit de non comedendo talem fructum, et sine dubio ipsam arborem ostendit, quæ erat in medio paradisi; quod non inveniebatur Adæ similis, et Deus dixit non esse bonum hominem esse solum; quod adduxit omnia animalia, et volatilia ad Adam; quod vidit omnia, et omnibus proprium nomen imposuit; quod non invento simili sui immisit Dominus soporem in Adam; quod per aliquod spatium dormivit; quod formata est Eva, et ad eum adducta, et matrimonium celebratum. Ista omnia quomodo possunt a tertia hora post meridiem fieri, nisi vel fiant cum magna acceleratione, et sine eo pondere, et majestate quæ ad tales actiones requirebatur, vel multa istorum sint facta longa jam nocte, cum dies illi essent fere æquinoctiales, quia in primo die æquinoctium fuit. Quare probabilius est Adam formatum esse mane post formationem animalium competenti hora, ut reliquæ omnes actiones die illo possent impleri.

XXIX. De tempore quo formata est Eva major dubitatio est, an fuerit facta sexta die. Nam multi sentiunt post sextam diem factam, quam sententiam Suarez lib. iii, cap. iv, num. xi, attribuit D. Thomas q. lxxiii art. i ad iii argumentum, quia cum in argumento opposuisset, quod multa fecit Deus post septimum diem, respondet in solutione: « Nihil esse factum post septimum, quin in operibus sex dierum aliquantulum præcesserit, quædam enim præcesserunt materialiter sicut quod Deus de costa Adæ formavit mulierem. » Aliqui etiam patres sentire videntur, quando Deus benedixit Adam dicens: *Crescite, et multiplicamini*, aut quando Scriptura dicit: *Quod masculum et feminam creavit eos*, necdum Evam fuisse formatam, ut docet D. Gregorius, xxxii moral. cap. ix, alias x, et Chrysostomus, homil. x in Genesim: atque adeo videtur, quod mulier post sextum diem facta est, supposito, quod quando nominat sexto die masculum et feminam, necdum Eva producta erat.

XXX. Cæterum nullo modo patres, neque D. Thomas huic favent sententiæ (omitto nunc Origenem.) Sanctus enim Gregorius nullo modo insinuat, Evam post sextum diem esse formatam, sed explicans quomodo Deus simul omnia fecerit, et tamen per sex distinctos dies ea dicatur fecisse, dicit quod secundum substantiam, seu originem simul omnia fecit, sed secundum speciem per distinctos dies: sicut prima die creatum est cælum, et tamen quarto die sol, et luna dicuntur facta, quia primo die quoad substantiam, et quarto quoad formationem. Et similiter ponit exemplum de Adam et Eva, quod quando dicitur quod masculum et feminam fecit eos, necdum Eva fuerat formata, nam ita quod postea describitur formata in

Scriptura, sed non post sextum diem sed intra illum. Chrysostomus solum dicit quod nondum de formatione docuerat, neque dixerat unde mulier producta, et tamen jam dicit masculinum et feminam fecit eos, et sic nondum factum quasi factum narravit; quod verissimum est, sed totum intra eandem sextam diem, non extra; nec enim Chrysostomus dixit non esse factum sexta die. Quin potius infra explicans illa verba: *Et perfecta sunt cælum et terra et omnis ornatus eorum*: « Ut discamus inquit, quod intra sextum diem absoluta sunt omnia, » quod idem sentit Augustinus libro vi de Genesi ad litteram, cap. ii. et v; Ambrosius libro vi hexameron, cap. i; Theodoretus, quæstione XXI in Genesim; Beda in hexameron et alii. D. Thomas non dixit in illa solutione nihil esse factum post septimum diem, quin in operibus sex dierum præcesserit, sed generaliori verbo usus est dicens: « Nihil postmodum a Deo factum est totaliter novum, quin aliquando in operibus sex dierum præcesserit. » Ubi illud verbum postmodum non restringitur ad hoc ut sit post sextum diem, seu post septimum diem, sed post omnia opera seu species rerum factas sexto die postmodum nihil novum fecit, quin præcesserit in illis operibus, sive id quod postmodum fecit, eodem sexto die, sive aliis diebus factum sit. Itaque formatio mulieris non est opus totaliter novum, sed præextitit materialiter, seu quoad materiam in operibus sex dierum; sed unde sequitur in littera D. Thomæ quod hoc quod præextitit in illis operibus, non eodem sexto die (licet non eadem hora vel tempore factum sit? An quia dixit nihil postmodum factum est? Sed ly postmodum non solum significat post diem, sed post quæcumque durationem etiam intra eundem diem. Quare D. Thomas nun-

quam expresse dixit Evam formatam fuisse post sextum, aut septimum diem, sed dixit nihil postmodum esse factum totaliter de novo, quod non præcesserit in operibus sex dierum, inter quæ computat formationem mulieris ex costa. Quod totum sufficienter salvatur si intra ipsum sextum diem formata sit Eva ex aliquo quod præcessit in operibus sex dierum, nec requiritur ad hoc quod post septimum diem formata sit. Nec obstat, quod in argumento tertio objiciebat D. Thomas multa esse facta post septimum diem, ac proinde non esse completum totum opus Dei in illo die septimo. Ergo si respondet D. Thomas postmodum nihil esse factum, quod non præcesserit in illis operibus sex dierum, ly postmodum refert post septimum diem, quia hoc proposuerat in argumento. Sed respondetur solutionem D. Thomæ esse adæquatissimam et superabundantem, quia voluit complecti non solum ea quæ post septimum diem facta sunt in quo ponebat vim argumenti, sed etiam ea quæ in ipso sexto die facta sunt post omnes species et genera rerum producta. Quare non negamus quod ly postmodum refert post septimum diem, ut petebat argumentum, sed dicimus quod non solum refert post septimum diem, sed etiam refert ea quæ sexto die post facta animantia et hominem formata sunt a Deo. Ergo non solum solvit D. Thomas argumentum quoad ea quæ facta sunt post septimum diem, sed abundantius solvit includens etiam ea quæ sexto die facta sunt post omnes species rerum factas.

XXXI. Fundamentum autem, quare asserimus Evam formatam esse sexto die, unicum est ex textu Scripturæ, quia cum Scriptura in omnibus diebus creationis non ponat terminum diei dicendo: *Factum est ves-*

*pere et mane dies talis*, quousque omnia opera illius diei terminata sint et narrata, etiam oportet id similiter intelligere in sexto die. Sed sic est quod non ponit Scriptura terminationem sextæ diei quousque dicat creationem utriusque primi parentis, ergo uterque formatus est in sexta die. Minor probatur, nam Scriptura narrans productionem hominis sic dicit: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculinum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, etc. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane dies sextus*. Ecce creationem masculini et feminæ, et benedictionem Dei ad illos, neque enim soli Adæ benedixit, sed illis, inquit, benedixit. Quomodo illis, benedixit, si solus Adæ erat, non Eva? Et quomodo dixit quod crescerent et multiplicarentur, et subjicerent terram, etc. si nondum erat Eva? Addit Scriptura quod: *Factum est ita*, et post omnia ista narrata concludit terminationem diei dicens: *Et factum est vespere et mane dies sextus*, ergo intra sextum diem masculus et femina erant producti, vel ut verbis Chrysostomi utar; « Sexto die absoluta sunt omnia. »

XXXII. Nec refert quod postmodum capite ii narratur formatio Evæ, et dicitur quod Adæ non inveniebatur similis, quod utique ponitur post septimum diem, quem Deus sanctificavit, ergo licet per anticipationem dicta sit creatio utriusque parentis sexta die, revera tamen postea se explicat Scriptura quomodo facta sit illa formatio Evæ post diem septimum. Quod si die sexta formata fuit, tam multa oportet accumulare illa die inter formationem Adam et Evæ, ut non possit intelligi humano

modo potuisse omnia illa fieri, sicut est post creata animalia et Adam illo die, translatio ejus in paradysum, impositio divini præcepti circa lignum scientiæ boni et mali, adductio omnium animalium ad Adam et impositio nominum cum singulorum cognitione, quod certe in tanta specierum multitudine multum temporis spatium postulat. Deinde, sopor immixtus in Adam, qui per aliquot horas duravit, et tandem formatio Evæ. Quomodo hæc omnia humano modo possunt fieri eadem die? Respondetur quod ea quæ narrantur in capite secundo Genesim, sunt posita in capite primo summarie, et in communi, deinde vero narrantur ibi distincte. Unde post sanctificationem diei septimi, ab illis verbis: *Istæ sunt generationes cæli, et terræ, etc.* incipit Scriptura totum illud opus præsertim in his, quæ ad hominem pertinent, distincte et per partes enarrare. Unde non ideo ponuntur post enarrationem diei septimi, quia post illum facta sint, sed quia post enarrationem diei septimi incipit Scriptura reassumere et iterum narrare distinctius ea quæ in die sexta facta sunt. Ad id vero quod dicitur de tam multis, quæ inter formationem Adam et Evæ facta narrantur, jam supra respondimus ea omnia potuisse intra eundem diem perfici, præsertim quia multæ ex illis actionibus fuerunt, aut instantaneæ, aut brevissimi temporis; formatio enim animalium cum immediate a Deo facta sit, in instanti perfici potuit, et similiter formatio Adæ, translatio ejus in paradysum (si per motum localem facta est) brevissime potuit fieri ministerio Angelorum, et præceptum divinum sibi potuit notificari, atque lignum vetitum ostendi brevi mora temporis. Quare majus temporis spatium quod est consumptum, fuit in illa omnium animalium et volucrum

lustratione, atque nominum impositione, et in sopore Adam. Et fateor hæc duo moram aliquam prolixiorē postulare, quia sensibili et humano modo factum est, sed non tantam, quod intra illum diem expediri non potuerint: nam pro animalium lustratione et impositione nominum quatuor vel quinque horæ potuerunt sufficere, cum videantur illa fuisse adducta ministerio Angelorum, poterantque coram Adam transire, aut præsentari plures species simul, v. g. decem aut viginti, et postea aliæ atque aliæ: quod totum breviter expediretur, nam eodem tempore quo transibant, nomina imponebantur. Ille autem somnus potuit durare duabus horis, aut etiam minus, plus enim videtur habuisse de extasi, quam de somno. Quare si pro his duabus actionibus assignemus septem vel octo horas diei, sufficientissimum tempus suppetit, ut intra sextam diem totum illud negotium expediretur, Eva enim dum dormiebat Adam formata est, et ita non oportet aliud tempus pro ejus formatione computare quam pro somno Adæ.

XXXIII. Circa locum in quo formati sunt primi parentes, communis sententia est Adamum extra paradysum fuisse formatum, Evam autem in paradiso. Ita D. Thomas infra quæstione cii, art. iv, et communiter doctores in ii, dist. xviii. Et sumitur ex ipsa Scriptura, nam postquam dixit in hoc secundo capite quod plantaverat Deus a principio paradysum voluptatis, subdit, quod tulit Deus hominem quem formaverat, et posuit illum in paradiso, ubi manifeste supponit hominem fuisse formatum de præterito et antequam introduceretur in paradysum. Et verbum tulit et posuit significant, tunc primo fuisse hominem in paradysum introductum illucque translatum, alias si in ipso paradiso jam

esset, ad quid illuc ferri ibique ponidiceretur? Si autem quando tulit et posuit, tunc primo homo ingressus est paradysum, et tulit ac posuit eum quem prius formaverat, manifestum est, quod extra paradysum formatus est. Videbatur quoque hoc convenire, ne homo sibi videretur in paradiso natus, ac jure nativitatist illum locum sibi deberi, sed gratuito Dei beneficio tam felicem locum accepisse. Et cum ejiciendus esset de paradiso non videbatur conveniens ut de terra paradysi corpus suum formatum portaret, ne in tanta infelicitate de origine suæ formationis gloriaretur. Unde et in capite iii, cum ejiceretur Adam ex paradiso, inquit Scriptura: *Quod emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.* Ergo manifestum est quod de terra paradysi non est sumptus nec formatus; si quidem ejectus de paradiso excoluit terram de qua sumptus est. Dicere autem quod in paradiso formatus est, sed non de ipsa terra paradysi, sed de alia illuc asportata, est merum figmentum et sine ullo fundamento dictum. In quo autem loco extra paradysum creatus sit Adam? Nihil certi ex Scriptura, aut traditione vel certa historia proditum est, licet plures in aliquo Palæstinæ loco, vel juxta Damascum in campo Damasceno, vel circa Jerusalem, vel circa Hebron dicant formatum, quia Josue xiv dicitur: *Adam maximus situs est in Hebron*, et sic videtur ibi vixisse, atque adeo et ibi formatum esse, quia illam terram excoluit de qua sumptus est. Sed tamen non est certum in illo loco Josue sermonem esse de primo parente, sed de aliquo homine inter filios Enacim magno, quia Adam nomen appellativum est ut homo. Et licet ibi sepultus sit, non constat ibi semper vixisse, atque adeo neque ibi formatum esse.

XXXIV. Quod vero Eva in paradiso formata sit, ex ipso historiæ contextu deducitur, quia dicit Scriptura Deum posuisse hominem in paradiso, ibique præceptum illi imposuisse ne comederet de ligno vetito, et post modum adduxisse omnia animalia ad Adam, et quod non inveniebatur similis illi, et quod immisit soporem in Adam et ex ejus costa formavit Evam. Totum hoc dicitur contigisse post translatum Adam in paradysum, nec est ratio cur dicamus illam translationem esse per anticipationem positam, oportebat enim ad id nos cogi ex alio loco Scripturæ, vel ne sequatur aliquod magnum inconveniens, quod hic non intervenit. Adam autem ex quo intravit in paradysum, non exivit inde, nisi quando expulsus est post peccatum, esset enim ei pœnale, et minus conveniens tam beatum locum deserere.

XXXV. Nec obstat quod alias nobiliori loco esset formata mulier quam vir, quod videtur præposterum. Ad hoc enim optime respondet D. Thomas citatus quæstione cii, artic. iv, quod hoc non fuit propter dignitatem mulieris, sed propter dignitatem principii, a quo originabatur, scilicet ratione viri. Licet enim mulier originarie et remote etiam sit ex terra, quia corpus Adæ de terra est, tamen quia proxime formabatur ex costa viri cui debebatur locus ille tam felix et vere regius, ratione talis principii existentis in paradiso debebatur mulieri formari in paradiso, sed non de terra paradysi.

XXXVI. Alii etiam scrupulum veniunt in eo, quod Eva formata est in loco ubi adducta sunt animalia ad Adam, non videntur autem adducta in paradysum, quia paradysus non erat locus in quo bruta habitarent, vel illuc ingrederentur ut dicit Damascenus, libro ii de fide, cap. xi.

Item Deus posuit præceptum de non comedendo fructu vetito statim atque Adam translatus est in paradysum, ut constat ex contextu, sed imposuit illud ambobus, quia mulier dicit, capite iii: *Præcepit nobis Deus ne comederemus, etc.* ergo ambo simul translati sunt in paradysum, ergo non est formata Eva in paradiso. Sed facile respondetur ad primum, quod bruta animalia non erat o n veniens habitare et ingredi paradysum cum illis indecentiis et immunditiis et feritate quam habent, v. g. occidendo alia animalia, effundendo sanguinem, etc. At vero ingredi paradysum ad obediendum, aut oblectandum hominem, et ut ejus imperio deservirent, remotis aliis imperfectionibus, quæ non decebant tam amænum et limpidissimum locum, non est inconveniens. Et serpens probabile est intra paradysum allocutum ad Evam, quod non faceret, si illuc non esset solitus ingredi. Et in priori sensu loquitur Damascenus, nec contrariatur secundo, animalia enim solum ingressa sunt ibi et adducta ut regale et despoticum imperium Adam recognoscerent, et ab eo nomina acciperent. Ad alteram partem argumenti dicitur utrique primo parenti fuisse impositum præceptum, sed non æque immediate, nam primo positum est Adæ, et per ipsum notificatum est Evæ. Quando enim Deus imposuit præceptum immediate solum in singulari locutus est dicente Scriptura: *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradysi comede, de ligno autem boni et mali ne comedas.* Mulier autem postea dixit: *Præcepit nobis Deus*, quia jam ipsi erat notificatum præceptum per Adam, sicut etiam dicitur in capite primo, quod dixit Deus ad utrumque: *Crescite et multiplicamini, etc.* et iterum: *Ecce dedi vobis omnem herbam in cibum*, quod fieri potuit post præcep-